



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xix. De Officio Sacristæ, & custodis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

verò ipse coërcere non valebit, eorum commissa Episcopo re- teget. Basilicarum ipse ponet custodes, & tabulam (quam matriculam vocant) ipse disponet: eo autem absente hæc curabit, qui illi lege, vel eruditione proximus fuerit^a.

^a c. perle-
ctis. S. ad primi-
terium. 25.
dist.

DE OFFICIO SACRI- STÆ, & Custodis,

TITVLVS XIX.

Sacrista, seu quod idem est, Thesaurarius, sacra vasa, Ecclesiasticas vestes, & totum Ecclesiasticum thesaurum, quæq; ad Luminaria, seu cerea, seu oleo madentia, pertinent, custodire tenetur^b. Ipse ostiarium Basilicarum constituit, thus incendendum præparat, curam Chrisimatis suscipit conficiendi, & Baptisterij instruendi, & Luminarium in sacrario, & sacrificijs præparandorum^c. Subest autem, vt supra diximus, Archidiacono.

^b d. c. perle-
ctis. S. ad
thesaurari-
um. c. pen.
extra. eod.

^c d. S. ad pri-
micium.

Custos verò Ecclesiæ is dicitur, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda traduntur: & cum multa ad eum spectent, quæ ex Sacristæ officio iuxta diuersam consuetudinē videntur esse, inferior tamen Custos est Sacrista: & hæc propria ipsius sunt munera, vt horarum Canoniarum signa det tintinabulorum pullatione, Archidi-

acono iubente: cui cum sub- sit, in omnibus parere tenetur. Palia, vel lintea altaris, omniaq; Ecclesiæ utensilia perpetua custodia seruare debet, accenden- dis, vel extinguendis lampadi- bus vigilem se præbere, ne aut supra modum ardentes nimium olei absument, aut minùs illu- centes obscuriorem Ecclesiam relinquant. Diligenter etiam curet, ne thuris vnquam sit in- opia, atque vt panis & vini ad missæ sacrificium omni tempore copia suppetat, omnèq; obla- tiones, & eleemosynas, seu decimas Archidiacono consenti- ente (dum Episcopus abest) fra- tribus diuidat. At si his exe- quendis custos minùs vigilem se præstiterit, erit ab Archidia- cono obiurgandus, vt se vltro ipse corrigere velit: sin nihil Archidiaconi castigatio profue- rit, Episcopus ab Archidiacono monitus, alio in locum eius sub- stituto eum extrudabit.

Hi ergo tres, de quibus proxime diximus, Triumviri sunt, quibus tanquam tribus validis- simis columnis fulcitur Eccle- sia, ipsiusq; nititur salus, scilicet Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos. Quare nemo, nisi optimus, idèq; vigilantissimus, ad hæc officia est admittendus, ne qua negligentia, aut so- cordia in Dei Ecclesia notari possit^d.

^d To. tit. xxiv.
cod.

De